UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Iani Gvlielmi Verisimilivm Libri Tres

Gulielmus, Janus

Antverpiae, M. D. LXXXII.

In Iani Gvlielmi Verisimilivm Libros Francis. Modii Brvgensis Elegia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70877

Visual Library

IN IANI GVLIELMI VERISIMILIVM LIBROS FRANCIS. MODII BRVGENSIS ELEGIA.

Et meritò quoniam dia hic inhonora iacebat
Doctrina, ad populos iuit Hyperboreos:
Vt quos tantum olim merces audire ſolemus
Tractare, atque illis anteputare nihil,
Ingeniis certent noſtris: nunc & bona captent
Quæ metuant vlla poſſe perire die.
Sic ſolet illa Iouis iuſti iuſtiſſima proles;
Aufert contemni quæ ſua dona videt.
Ergo igitur quas præſentes deſpeximus artes
Cum magna abſentes quærimus inuidia.
Etſi cur aliis hæc inuideamus, inante
Publica quæ in nobis temnere fama ſolet?
Quin potius faueo laudem hanc, & gratulor illam
Seu tibi GVLIELMI *ſiue tuæ patriæ.*
Eſt fateor LVBECCVM *aliis ampliſſima rebus,*
Regum quáque ſuis æquet opes opibus:
Sed commune illud ſi non cum pluribus illi eſt,
Cum paucis certè haud eſſe negare potes.
Laus erit vna dehinc, communem dicere nemo
Quam queat, ingenio parta tropæa tuo.
Hoc vno LVBECCVM *vrbes ſupereminet omnes,*
Nec ſolum HANSATICI *eſt fœderis illa caput,*
Sed memoranda orbi, qua iungit mane nouo ſol,
Et qua defeſſos veſpere ſoluit equos.
Ergo ô felicem te, ô térque quatérque beatum
GVLIELMI, *per quem ſic patriæ auxit honor.*

Debeba

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Debebas illi vitam, maiora dediſti,
Nec moriens quiſquam plura aliquando dedit.
Quam tu viuenti viuens largiris, honore
Dum illam tam ſolido perpetuóque beas.
Et tu LVBECCVM, *mere flos, atque vrbium ocelle,*
Quæ fors fortunæ par potis eſſe tuæ eſt?
Nomine cælum æquas, & tangis ſidera fama,
Siue GVLIELMI *munere ſiue tuo.*
Nec reliquum eſt aliud, magis & magis vt clareſcas
Porro etiam quàm illum vt debito honore colas.
Ingenio qui te & calamo ſuper æthera vexit
Ne illum fors pigeat gratuito eſſe pium.
Gaudet honorari virtus, & digna merendo eſt:
Quippe homines ſoleat quæ facere vna deos.

INDEX